

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 94. (*Neovidensis* 1805. Nro. 97.)

Ex Campis Elysiis

Colloquium Politicum vita functorum.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 20. Dec. 1805. (Neov. 2. Dec.)

Dialogus

*Inter Henricum VI. Regem Angliæ, & Mathiam
Corvinum, Regem Hungariæ.*

Henricus. Ain' tu rem esse exigui momenti, capere Metropolim? Vindobonam, urbem principem Galli, occuparunt, & quidem abs-omni renisu, & hoc tu nihili facis?

Corvinus. Absit, ut rem tantam nullo loco habeam. An non ego eandem A. 1485 cepi, & spatio quinque annorum tenui?

Henricus. Hoc perinde magnum fuit infortunium, quod Imperatorem Fridericum IV afflixit.

Corvinus. Tempore belli nulla Regia sedes est segura; Quoties ipsa Roma fata victoriæ subivit! Plura ejusmodi exempla expugnatarum urbium regiarum suppeditat historia.

Henricus. Non sum nescius, verum —

Corvinus. Ignosce, quod loquentem interpellam; nunquamne fuisti Parisiis? non possedistine hanc tam vastam, tam frequentem civitatem?

Henricus. Ita, sed præeram Angliæ!

Corvinus. Quid sibi hoc vult?

Henricus. Videlicet, meum Patrem tunc temporis magnum fuisse, qui mihi fere dimidium bello acquisitæ Galliæ hæreditate reliquit.

Corvinus. Te vero Patre tuo longe inferiorem fuisse; vos Anglos a rustica puella, celebri illa, & tandem infelici Virgine Aurelianensi adeo victos fuisse, ut ferme omnibus in Gallia factis occupationibus debueritis nuntium mittere. Hæc epocha, dilecte Henrice! in vestris annalibus non est omnino splendida.

Henricus. Fata regnorum sunt mirabilia. Magnæ designationes exertunt pacem, & felicitatem populorum. Quo felicior quis in bello, eo plura suscipit consilia, ut nomen suum æternitati consecret. Meus Genitor, Henricus V. a tempore suscepti A 1413 regiminis, sibi proposuerat Galliam suæ potestati subjicere, atque ex Gallia, & Anglia unum efformare regnum. Venit cum exercitu 50 millium in Gallias, commissa ad Acincurtum decretoria pugna superior evasit, captisque pluribus Principibus, & 1400 ex equestri ordine viris rediit in Angliam. A. 1418 secundam fecit non minus felicem in

Galliam expeditionem, & forte, uti illorum temporum scriptores affirmant, totam in suam ditionem redeget, sed operi huic immortuus est A. 1442 annos natus 36, corpus ejus exangue cum nomenclatione Regis Galliarum fuit in fauo S. Dionysii expositum. Eidem ego successi; Mei belliduces continuabant occupationes, sed victoria virginis Aurelianensis perturbavit meorum armorum fortunam, præterea contentiones in regia familia Anglica, ac denique seditiones domesticæ effecerunt, ut a proposito Patris, Galliam subjiciendi discerserim.

Corvinus. Quanta mutatio temporum! Hodie omnia contrarium denotant. Anglis utique non incidet, velle Galliam armis vindicare. At iidem merito metuent, ne a Gallis opprimantur; Consilium de excensione, parata ad id navigia in portu Boloniensi, aliisque portibus, & universorum Anglorum ad arma convocatio abunde testantur, totam Angliam in metu esse, ne tali excensione obruatur. Novi equidem Neptunum Anglicum in mari esse insuperabilem, sed si illum in sua sede Londini gallicus Mars apprehenderet, profecto non optimo loco forent ejus res. Capta urbs principalis Regis Angliæ longe aliam faciem tribueret maritimæ dominationi.

Henricus. Victoriæ Anglorum in recenti sunt memoria.

Corvinus. Sinito me unicam adjicere animadversionem. Longe probabilius est, ut

Galli Londinum veniant, quam Angli Parisios. Hoc credo, non negabis.

Henricus. Ut modo se res habent, concesserim. Sed quid si gallica navigia ita fuerint dissipata, sicut eorum classis.

Corvinus. Placet hac de re ex gallicis Lugdunensibus ephemeridibus sequentia commemorare. Literæ Bolonia 23. Novemb. datæ referunt, die 19. ejusdem mensis comparuisse ad portum Boloniensem 52. anglicas naves quæ videbantur velle impetum facere in gallica navigia. Duæ Anglorum celoces appropinquantes ad aggeres sustinendis tormentis inservientes dimiserunt machinam incendiariam versus portum, quæ prope naviculam tormentariam in auras evolans duos homines enecuit. Sequenti die quatuor alias tales machinas contra portum direxerunt, verum hæc omnes naufragium passæ sunt; & quidam gallicus singularis audaciæ miles detraxit ex iis ardentis funiculos; quo factum, ut omnis earum effectus fuerit impeditus. Tertia adhuc die una tali machina fecere tentamen, sed hæc ante rupta est, quam ad destinatum pervenerit locum, & ideo nullum intulit damnum. Die 13. Nov. visæ sunt adhuc ex portu Boloniensi 5. naves Anglicæ, 12. celoces præter complura alia minora navigia, sed nihil effecerunt. Galli etiam intentissimi sunt in omnia, quæ Angli possent suscipere.

His etiam sequentia licet adjicere, quæ Berolino 24. Nov. scripta sunt. Rex noster

ab aliquot diebus hic moratur, neque, ut fama est, Potsdamum amplius revertetur, sed cum sua Regia Família apud nos hyemem transiget. Nonnulli affirmant Imperatorem Russiæ huc iterum brevi post tempore venturum, & Berolini moras tracturum; hic rumor valde incertus est, tametsi optandum foret, ut confirmetur.

Cum Promareschallo Rûchel, pro quo quam citissime isthuc advocando duo nuntii obviam erant missi, heri celebratum est consilium bellicum, cui etiam Ludovicus Princeps Borussiae interfuit. Narrant, tam Regium Principem, quam etiam Excellentissimum Rûchel ad magna destinari, & jam crastina die discessuros. Cui rei sint præficiendi, nondum innotuit; interim insveti motus diligentis spectatoris oculos non effugerunt.

Illustris Burghersch, Generalis Don mandatorum executor heri huc appulit. Ex illo intelleximus, Bremæ, Stadæ &c. excensionem fecisse Hannoveranam legionem, quæ dicitur 20000 armatorum constituere. Hic est jam septimus Anglicus nuntius, qui sibi intra exiguum tempus successerunt, & omnes una præsentés sunt.

Illustris Harrovby, ejusque splendidus, & numerosus comitatus multas expendit pecunias. Legatio hæc sola incolit magnificum palatium.

A Danubio 28. Novembris. Ambo Monarchæ Germanicus, & Russicus Imperator erant

adhuc Olomutii, dum primum gallicum agmen unius tantum diei itinere inde distabat.

BIOGRAPHIA.

Henricus VI. Rex Angliæ, decimum ætatis mensem compleverat, dum Patri suo Henrico V. in imperio successit A. 1422. Ille quoque, uti ejus Pater, in parte Galliæ dominabatur, sed nec fortuna Patris, nec meritis ejusdem gaudebat. Dux Glocestrensis erat ejus Tutor. Ejus quidem Generales fecerant quaspiam progressiones in Gallia, at, postquam Virgo Aurelianensis fudit Anglicum exercitum, versa est belli alea. Henrico domesticæ turbæ multum molestiarum facessiverunt. Edwardus, Dux Eboracensis indixit ei bellum, vicit, & captivum duxit in triumpho. Margarita Andegavensis, conjux capti Regis, fœmina heroica adgressa est Ducem Eboracensem, & victum interfecit in pugna ad Wakefieldam commissa A. 1460. Eduardus, filius Ducis Eboracensis, ultus est necem Patri suo illatam; copias Regniæ profligavit, eamque cepit in prælio ad Tevksburiam A. 1471. quo tempore Henricus fugiens recepit se in Galliam. Redux vero turri Londinensi est inclusus, ubi tandem Anno 1471. annos natus 52. a Duce Eboracensi confossus occubuit. Princeps erat debili in-

genio, sed virtuti deditus, & infelix, majori commiseratione, quam admiratione dignus.

Mathias Corvinus Rex Hungariæ, & Bohemiæ, filius Joannis Hunyadi. A morte Ladislai Status, & Ordines Hungariæ congregati Budæ elegerunt sibi Regem Mathiam Corvinum 24. Jan. A. 1458. Eodem tempore Georgius Podiebradius Rex Bohemiæ fuit proclamatus. Nonnulli Hungarorum minus contenti hac electione, coronam Hungariæ obtulerunt alii Imperatori Friderico IV., alii Regi Poloniæ, qua dissensione in rem suam usi Turcæ occuparunt Bosniam, & Serviam. Verum victis omnibus suis hostibus, etiam Regnum Bohemiæ obtinuit A. 1469. Fusis Turcis recepit Bosniam, & pacem inivit cum Turcarum Imperatore Mahomete II. Diversæ offensiones, quas sibi ab Imperatore Friderico fuisse illatas dicebat, induxerunt eum ad gerendum cum eo bellum, Invasit itaque Austriam, cepit Neostadium, & Vindobonam A. 1485. Transiens dein in Bohemiam, composuit litem cum Ladislao, filio Casimiri Regis Poloniæ, cui imperium Regni Bohemiæ suffragiis fuerat delatum. Paraverat suscipere bellum adversus Turcas, sed apoplexia tactus vivere desiit Viennæ in Austria anno 1490. Rex iste fuit invicti animi, & gnavus, mirifica vi ingenii præditus; callebat omnes linguas in Europa usitatas; æstimabat, defendebatque eruditos; ex Italia evocavit multos artifices in Hun-

gariam. Ingentem extruxit Budæ bibliothecam, quæ potissimum manuscriptis erat refertissima. Jucundi erat genii; & ingeniose dicta libentissime audivit, in medio gravissimorum licet negotiorum vultu, & tono ad hilaritatem composito verba faciebat. Mathias optabat cum Principe, filia Regis Poloniæ, Casimiri III, matrimonium inire, promisitque victor sub hac conditione se pacem cum Polonis conservaturum, verum a Regina repulsam passus est, nulla habitatione argumentorum & a senatu, & nobilitate propositorum, quod Regis hujus stirps ambitiosæ Reginæ non satis illustris videretur.

In eadem hac Officina Belnayana sequens, præter complures alios, liber venalis prostat.

Okos Gyermek nevelés példája, a' köz-nép hasznára. Mellyben rövideden előadatik, miképpen kell a' Gyermekeket születések napjától fogva, mind testi, mind erköltsi tulajdonságaikra nézve hasznosann és okosann nevelni. Falusi Mihály által. 8. 1805. 48 kr. Egymással-való barátságos beszélgetés, mellyet eszve-szedett, és a' főbb engedelemből közre bocsátott Sz. Benedek' rendén lévő Ph. Hollósi Egyed. Második meg-job-